



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Io. Baptistæ Portæ Neapolitani Magiæ Naturalis Libri
Viginti**

Della Porta, Giambattista

Frankfurt, 1607

Quomodo capilli nigro colore tinguntur. Cap. III.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-70772](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-70772)

leum, quod hoc modo parabant ad id opus. Maturas lentisci baccas aliquot diebus cumulas sinebant, donec contabescerent, affusa aqua æreis cortinis, tandiu eas ebulliebant, vt dehiscerent, saccis imponebant, & prælo oleum exprimebant, hoc vnguine tota nocte capillos illitos habebant, & eos rufos reddebant. Sed quo modo nos possimus

Capillos rufos reddere

docebimus. Ex Africa nobis puluis affertur, quæ vulgò *alchena* dicunt, si lixiuio eum ebulliemus, donec coloretur, & capillos perungamus, rufo colore tingit, ad multos dies indelebili: sed dum eum pertractabis, caue ne vngues eo madefiant, nam tinguntur ad eò, vt non faciliè mundaturus sis. Sic etiam alborum equorum iugas, & caudã tingimus rufi coloris. Sed nos faciliè mellis oleo voto satisfacimus, nam extracta limpida aqua & crocea, exaucto igne rubicundum manat oleum: Hoc præstantissimũ est ad capillos rufandos, & canos etiam tingit in multos dies, & quum tinctura diluitur, aureo colore capilli fulgebunt. Sed dum lixiuium capiri perlinimus, madefactam spongiã forficibus capiemus, nõ manus, aut capitis cutis inficiatur:

Fœmina canitiem germanis inficit herbis,

Et melior vero queritur arte color.

Quomodo capilli nigro colore tinguntur.

C A P. III.

O Peræpretium est his, qui erubescunt senes esse, succurrere, si suos canos inficere volũt, tanquam annos detracturi sint hoc nomine ætati: & si mulieribus adolescentulis prouidimus, matronis cõsulamus oportet, præcipuè si quandoq; acciderit, vt importuna canities quanto citius caput dealbet. Antiquitus parabatur ex saluæ foliorum decocto, corticum iuglandiũ viridum, rhoe, fructuũ myrti, rubi, cupressi, corticum radice ilicis, & similium. Iligneæ enim radice cortex coctus dum mollitus intabescit, & tota nocte illitus, capillos denigrat, prius cimolia terra purgatos. Disce igitur,

Canis

Canus capillus quomodo tingatur niger.

Sanguisugis, quæ nigerrimo vino computuerint sexaginta diebus, capillos sole illinas, & nigerrimi fiunt: vel aceti sextarijs duobus, sanguisugarum sextarium in vase plumbeo totidem diebus putrescere finito, & ut diximus, capillis exhibe. Plinius tantam vim tingendi habere dixit, ut nisi oleum in ore habeant, qui tingunt, dentes quoque eorum denigret. Si vis verò,

Longi, & nigri capilli ut fiant.

Accipe lacertam viridem, & a motis capite & cauda, decoque in oleo communi, & tali inunge caput. Habebis quoque &

aliud.

Hoc tamē commodè tinges modo barbam, & capillos, si cui canescunt. Argentea spuma, combustum æs, fortis lixiij quadruplo permiscetur, dumq; leuibus prunis in bullas exurpit, lauabis, & resiccatos calida perlues aqua. Nos hoc vsumus ex antiquorum voto. Ex quercus cinere, & calce viua lixiuum fecimus, quod vulgus *capitellum* vocat, in eo decoquimus lithargyrum argenteum, inde alba lana experimentum capimus: nam si nigro tingitur colore ex voto, exime ab igne: sin minus coque. Si lanam exedit, addito aquam, sin minus tingit, adde lithargyrum. Hoc capillum, vel barbam lauabis & nitido, & nigro colore canos tingit, nec detegitur fraus: nam quanto diutius laueris, nitidius nigricat.

Ut locus pilis glaber fiat. CAP. IV.

Quia sæpè accidit, ut locus pilorum multitudine deturpetur, vel nuditate, docebimus quomodo glaber & pilis densus locus pilosus, & psilothris glaber fiat. Hoc est

Psilothrum vulgare.

Quo passim in thermis vtuntur. Constat vitæ calcis partibus quatuor, reductis in pulueris modum, auripigmenti singulari, & decoque. Experimentum erit penna gallinacei, quæ quum depilatur, coctum erit, caute ne nimis coquatur, aut nimis supra cutem nioretur, nam vrit. Quod si ex vnguento vti cutem accideris, po-